Deus quibus placandus.

Thure Deum placa, vitulum ſine creſcat aratro,
Ne credas placare Deum, dum cæde litatur?

A potentioribus læſus diſſimula.

Cæde locum læſus, fortunæ cede potenti,
Lædere qui potuit, prodeſſe aliquando valebit.

Caſtiga te ipſum.

Cum quid peccaris, caſtiga te ipſe ſubinde,
Vulnera dum ſanas, dolor eſt medicina doloris.

Amicus mutatus non vituperandus.

Damnaris nunquam poſt longum tempus amicum,
Mutavit mores, ſed pignora prima memento.

Beneficiorum collatis attende.

Gratior officiis, quo ſis mage charior, eſto,
Ne nomen ſubeas, quod dicunt Officiperdæ.

Suſpicionem tolle.

Suſpectus cave ſis, ne ſis miſer omnibus horis,
Nam timidis & ſuſpectis aptiſſima, mors eſt.

Humanitas erga ſeruos.

Cum fueris famulos proprios mercatus in uſus,
Vt ſeruos dicas, homines tamen eſſe memento.

Occaſionem rei commodæ ne prætermittas.

Quam primum rapienda tibi eſt occaſio prima,
Ne rurſus quæras quæ jam neglexeris ante.

Non lætandum de repentino obitu.

Morte repentina noli gaudere malorum:
Fœlices obeunt, quorum ſine crimine vita eſt.

Pauper ſimulatum vitet amicum.

Quum tibi ſit conjunx, ne res, & fama laboret,
Vitandum ducas inimicum nomen amici.

Iuge ſtudium.

Quum tibi contigerit ſtudio cognoſcere multa.
Fac diſcas multa, & vites non velle doceri.

Breuitas memoriæ amica.

Miraris verbis nudis me ſcribere verſus?
Hos brevitas ſenſus fecit conjungere binos.

FINIS.

BRITISH MUSEUM 23 DE 93